Lane Medical Library 1859

OBSERVATIONES CLINICAE
DE
PLEURITIDE EJUSQUE SEQUELIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLIX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIEDERICUS TUETEL,

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

HELLMANN, DRD. MED.
BREKENFELD, DRD. MED.
KAYSER, CAND. MED.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

VIRO ILLUSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO, SUMME

VENERANDO

F. NIEMEYER

EDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROFESSORI PATHOLOGIAE

ET THERAPIAE IN HAC UNIVERSITATE PUBLICO ORDINARIO

RECTORI INSTITUTI CLINICI MEDICI ET PSYCHIATRICI CET.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Quum per longius temporis spatium medici auxiliaris munere in nosocomio universitatis Gryphicae fungerer, occasio se obtulit, complurium pleuritidis casuum uno tempore observandorum, qui mihi videntur haud indigni, quos dissertatione illustrem.

Quum vero hac dissertatione latino sermone conscribenda neque tempus neque spatium consueto majus implere vellem, non omnia, quae in diario clinico conscripta inveni, enarrare, sed brevissime tantum horum casuum claram lectori perspicuamque imaginem adumbrare statui.

Casus I.

Empyema totius sinistri lateris. — Thoracocentesis. — Pyopneumothorax. — Exulceratio parietum thoracis. — Abscessus congestivus. — Mors. — Obductio.

Puella quaedam nomine Sophia Klein XXIII annos nata, ancilla, die nono mensis Maji hujus anni in nosocomium recepta hanc fere anamnesin nobis communicavit;

Prioribus temporibus nunquam aegritudine affecta ante has undeviginti hebdomades contusionem lateris sinistri accepit, quum gravida in trabem quandam transversim positam incideret. Dolores vero, sputa cruenta, frigoris accessus non obvenerant. Attamen post sex dies, quamquam normale spatium graviditatis non jam aderat, doloribus ad partum inceptis puerum peperit, qui quinque diebus post mortuus est. Inde ab hoc tempore dolores leviores lateris sinistri, respiratio aliquantum impedita, virium collapsus in dies adauctus aegrotam in lectulo retinebant.

Nono mensis Maji die hic reperiebatur status praesens.

Staturam minorem, ossium architecturam gracilem, cutis unicarumque mucosarum colorem satis pallidum, sinistrum thoracis latus eximie amplificatum, dextrum humerum sinistro elatiorem praebebat.

In regione supraclaviculari sinistro sonus percussione affectus admodum attenuatus, item in spatio intercostali

primo, infra secundam costam sonus omnino obtusus inveniebatur. Sonus percussionis omnino obtusus per totam regionem sternalem et ultra dextram sterni marginem audiebatur, in spatio intercostali tertio unum digitum transversum, in quarto duo digitos transversos hanc marginem superans, in quinto spatio intercostali usque ad papillam mammillarem extensus.

Pulsus cordis, quo epigastrium quoque concutiebatur, in dextro tantum thoracis latere per amplius spatium diffusus percipi potuit, maxime distinctus vero in tertio spatio intercostali.

In dorso sonus ad dextrum latus plenus, ad sinistrnm summo thoracis acumine excepto omnino obtusus erat. Vertebrarum dorsalium scoliosis, convexitate ad dextrum latus versa, obvenit.

Respiratio in sinistro latere bronchialis a pectore ubique supra quartam costam (altitudinem papillae mammillaris), a tergo supra inferiorem scapulae marginem, in dextro latere respiratio vesicularis exspiratioque prolongata inveniebatur, bronchophonia in sinistri pulmonis acumine, fremitus pectoralis in superioribus partibus sinistri lateris fortior, quam dextri.

Pulsus frequentissimus erat; atque etiam post multas doses diversorum herbae Digitalis praeparatorum porrectas tamen sub vesperum CXXVI — CILIV ictus, mane C. — CXXVIII praebebat.

Respirationis frequentia in sexagesima horae parte sub vesperum inveniri solebat quadraginta vel quadraginta quatuor, mane XXII vel XXXVI.

Corporis temperatura mane circiter 37,°6 C., sub vesperum 39,°0; 39,°2; 39,°5.

Igitur continua sub vesperum exacerbata febre repentinam virium consumptionem imminere facillime intelligebatur. Nihilo minus aegrota initio interdum hortum petebat et interdiu saepe vestimentis induta a me visitante inveniebatur in lectulo recumbens in sinistrum latus, pelvi et extremitatibus inferioribus altius sitis, in hac positione se minus dyspnoea vexari confirmans.

Die sexto decimo mensis Maji et sequentibus diebus post meridiem frigore tentabatur calore maximo subsequente, sed virium status accuratiorem temperaturae disquisitionem permittere non videbatur.

Vicesimo quarto die aegrota infirmissima erat et thermometrum per nonnulla tantum momenta applicatum jam 39,2 gradus ostendit. Atque die proximo aegrota se acri dolore ad latus sinistrum infectari dixit, quo loco duobus diebus post tumor exstitit, cujus media pars fluctuationem praebebat perspicuam. Cataplasmata ordinata sunt. Locus ille circumscriptus in dies magis erubuit, fluctuatio magis distincta inveniebatur, et die quarto mensis Junii per punctionem sex octove unciae puris paulum crassi, floccosi, subflavi nequaquam foetidi exhaustae sunt. Quo facto quum percussio non aliter atque antea resonaret, pus sub cutem tantum collectum exhaustum esse manifestum videbatur. Per duos deinde dies nihil puris effundebatur, cutis autem circa punctionis aperturam quaque exspiratione inflata inspiratione relaxabatur, unde emphysema circumscriptum subcutaneum exstiterat. Post duos vero dies subito, quum aegrota in

lectulo se erigere vellet, maxima puris quantitas foedum odorem spargens per radium ejiciebatur. Aër in cavum pleurae crepitante et sibilante sono inspiratur et eodem sono efflatur. Postea linamento et collodio adhibitis apertura, quantum fieri potuit conclusa est. Percussio tunc effecit sonum in sinistro latere supra quartam costam plenum, in quo toto spatio fremitus pectoralis nullus, nullus respirationis crepitus, sed interdum „tintement metallique“ qui dicitur. Succussio effecit sonum metallicum, qui etiam complurium passuum intervallo clarissime audiebatur. Pneumothorax exstiterat, simulac major pleurae pars perforata est.

Pericardium quoque, cui humores putridi maxime propinqui essent, inflammatione affectum esse jure suspicari potuimus, quamquam strepitus inter cordis sonos nullus audiebatur.

Abhinc aegrota quotidie balneo tepido imponebatur, in quo pus e vulnere thoracis quaque exspiratione profluens columnae vaporis ad instar aquam turbavit. Sub finem balnei aperturam compressis adhibitis concludens prohibebam, quominus aër in cavum pleurae intrare posset. Deinde aegrota in lecto reposita, compressis remotis, inter exspirationem statim apertura emplastro anglico, collodio fasciisque claudebatur. Sed fieri solebat, ut postero die emplastro pure affluente soluto aër stridulo et sibilante sonitu intraret et exspiraretur, et simulatque aegrota in balneo posita est, aër e thorace bullans erumpebat.

Saepe concluso jam vulnere sonus metallicus audiebatur, atque interdum quidem tam acutus, tam clarus,

ut campanulam quandam pulsatam audire putares.

Inter noctem saepe complures librae puris putride olentis profundebantur. Quam puris putredinem ut quam maxime fieri potuit inhiberemus, in balneo supra illam punctionis aperturam, tincturam Jodi aquae admiscebamus, quae proximis quibusque inspirationibus in cavum thoracis partim inhausta pungentes dolores efficere solebat.

Pure profuse secreto atque febri quotidie sub vesperum admodum exacerbata aegrotae vires in dies conficiebantur, quamquam majores Vini Madeirensis aliorumque remediorum roborantium doses porrigebantur. Nihilo minus aegrota usque ad finem mensis Junii statum praebebat satis secundum.

Vicesimo nono autem die mensis Junii aegrotam in balneum descendentem adjuturus in sinitra regione lumbali planum inveni tumorem fluctuantem, qui juxta columnam vertebrarum situs inter cristam ossis ilei et costarum marginem inferiorem totum fere spatium explebat.

Pro tempore in dubio remansit, utrum pus a punctionis apertura cutem subluens congestum esset, an denuo perforatio pleurae parietum thoracis in loco inferiore exstitisset. Cataplasmata applicata sunt.

Proximo vero die, quum aegra ex balneo excessisset, cutis quo loco cicatrice quadam attenuata esset sponte perforata est et puris foedum odorem spargentis copia profluxit.

Attamen virium collapsu in dies aucto jam in dubium vocari non potuit, quin brevi exitus immineret lethalis. Atque secundo jam mensis Julii die sub vesperum tussis

vehemens sed infirma, magna dispnoea, rhonchi per totum pulmonem dextrum diffusi oedema pulmonis indicaverunt. Emetico remediisque analepticis porrectis periculum pro tempore sublatum est; sed jam duobus diebus post oedema pulmonum denuo exstitit, atque emetico analepticisque frustra porrectis inter noctem aegrota obiit.

Obductione facta haecce inventa sunt.

Cute in latere sinistro dissecta amplus ichore completus saccus apparebat, qui longo ductu fistuloso cum abscesso congestivo in regione lumbali communicabat. Sternum sublatum tela seroso - fibrosa pericardio adhaerere cognoscitur. Cor totum in dextra thoracis parte situm sinistra margine lineam medianam tangens conspicitur. Superficies undique firmis adhaesionibus cum pericardii superficie interna concreverat. In cavo pleurae sinistro pulmonis fere nihil reperitur; totum vero magna copia liquoris egriseo - viridis compactis particulis intermixtis completum est. Pulmo ad solidum furiculum aëre omnino vacuum in medio thorace situm et pericardio concretum redactus invenitur. Pulmo dexter fluido spumoso completus est. Diaphragma, lien, margo acutus lobi hepatis sinistri et margo superior renis sinistri tela conjunctiva recenter formata inter sese concreta. Rene sinistro remoto ad costam imam perforatio pleurae apparet, qua saccus pleurae per longum ductum fistulosum cum regione lumbali sinistra communicat.

Casus II.

Empyema dextri lateris. — Inflammatio per totum dextrum latus diffusum. — Dyspnoeae vehementis accessus. — Mors. — Quae obductione inventa sunt. —

Joannes Kapping sexaginta annos natus sub finem mensis aprilis in nosocomium receptus magnopere jam diu sese inflatione ventris, obstructione, torminibus flatibusque post coenam auctis affectum esse narravit. Ad quod malum quum multa edendi cupiditas et nausea crebro accessisset, aegrotus saepenumero vomitum digitis in pharyngem ingestis effecerat.

Quatuordecim diebus antequam receptus est vehementi frigore, aestu sudoreque mox subsequente correptus erat simulque sinistro latere laboraverat et propter dyspnoeam in hoc latere cubare non potuerat. Quae quidem dyspnoea, ut contendit aegrotus, jam per biennium adfuerat.

Hunc praebuit statum praesentem; Facies aegroti pallida et cachectica, membranae mucosae admodum pallidae, musculatura atrophica. Dexter thorax sinistro multo extensior, spatia intercostalia expleta; Sonus percussionis dextri lateris usque ad costam tertiam aliquantum attenuatus et altior, abhinc plane obtusus. A tergo supra mediam scapulam percussio paullulum attenuata, infra sonus omnino obtusus erat. Hepar marginem costarum inferiorem latitudine trium digitorum superavit.

Fremitus pectoralis, a pectore usque ad costam tertiam aeque fortis, inde autem sublatus, a tergo in superiori parte dextra fortior erat, quam in sinistra; quousque autem sonus omnino obtusus pertinebat, prorsus erat, sublatus.

Auscultatione ad sinistrum latus et a pectore et a tergo ubique respirationem esse vesicularem intermixtis rhonchis sibilantibus facile cognoscentes reperimus ad dextrum latus et a pectore et a tergo fere usque ad costam quartam respirationem debilissimam; quousque autem sonus omnino obtusus, nulla respiratio audiebatur.

Tali rerum conditione haud dubie exsudatum pleuriticum adesse constabat.

Primum per mensem praeter tussiculam, parvam dyspnoeam aegrotus nullam indicavit querelam, nisi quod se obstructum esse, saepissime deploravit. Ideoque quotidie fere eum pilulas ex extracto Aloës et Colocynthidis atque Radice Rhei compositas sumere necesse erat. Porrigebantur praeterea praeparata ferri, imprimis Syrupus ferri iodati, quibus exsudati resorptionem adjutum iri speravimus. Atque re vera mox exsudatum per unum fere spatium intercostale decessisse videbatur.

Praegravata interdum exspectoratione porrectum:

Infus. Rad. Senegae e ℥ii par. ℥vi.
Liquor. Ammonii anisat. ℥ß.
succi Glycyrrhizae ℥ii.
binis horis cochlear.

plerumque bonum effectum habuit.

Alia vero conditio aegroti mense Junio facta erat. Nam dyspnoea ita aucta erat, ut aegrotus noctu saepius

ad apertam fenestram necessariam respirationem quaereret, vel in spatiis extra conclave sitis quam maximam aëris copiam respirandi causa ambularet. Neque unquam conclavis januam inter noctem claudi voluit, et si quis eam claudere conatus esset, conclamare solebat se exstingui spiritu intercluso.

Saepe super totum pectus aegroti sparsi audiebantur rhonchi. Tum Tartarus stibiatus cum Rad. Ipecacuanhae dosibus idoneis porrectus vomitum simulque tolerabiliorem statum aegroti efficere selebat.

Deinde sub medium mensem Junium oedema super dextrum latus sparsum exstitit et imprimis ad dextram thoracis partem paucis diebus post in circumscriptum tumorem commutatum est. Qui tumor quum paulatim rubesceret, empyema necessitatis statuendum videbatur, quamquam fluctuatio nulla animadvertebatur. Auscultatio quoque alia praebebat. Nam pro priore debili respiratione vesiculari in superiore lateris dextri parte audita nunc inde a regione supraclaviculari usque ad papillam mammillarem respiratio bronchialis in diem crescens atque maxime distincta ad dextrum marginem sterni percipi potuit.

Percussio alta et tympanitica erat usque ad costam tertiam, a costa tertia omnino obtusa.

Quum oedema dextrae partis thoracis permaneret, dexter paries costalis inflammationis particeps censendus erat. Manus quoque dextra et antibrachium oedemate valde infectum erat, cujus causa in eo ponenda esse videtur, quod aegrotus perpetuo in dextrum latus cuba-

bat. Glandulae lymphaticae in dextra regione axillari valde intumescebant.

Quem supra descripsi aegroti status usque ad mensem Junium fere immutatus remanserat. Hoc vero tempore dyspnoea, quae jam dudum exstiterat, in dies augebatur, ita ut accessibus asthmaticis qui dicuntur aeger plerumque afficeretur. Quibus in molestiis sub noctem imprimis adventantibus chloroformii inhalatio saepenumero effecit, ut accesso sublato aegrotus tranquille dormiret. Postea tamen, ne ultra modum chloroformium adhiberetur, spiritus frumenti complures unciae quotidie porrectae sunt, quo idem successus adduci videbatur.

Attamen ineunte mense Julio quum chloroformii inhalatio fere nullum jam levamen afferret, aegroti status in dies miserabilior fiebat. Noctes plerumque omnino insomnes degit atque in dies magis consumptus sub medium fere mensem summum imbecillitatis fastigium attigit.

Die decimo quarto mensis Julii rhonchis humidis circa totum pectus sparsis remedium emeticum porrectum aliquantum levaminis attulit. Praeterea aegroto datum est.

Rp. Tinct. Opii benzoic. ℥β.
Liq. Ammonii anisat. ʒβ.
Syr. senegae ℥i.

bihorio cochlear parvum.

Postero die quum status aegroti paullulum tolerabilior videretur, percussio ad dextram partem sterni propter costam secundam instituta „bruit de pot fêlé“ effecit. *)

*) Wintrich (Virchow, Specielle Path. u. Therap. Band V., Abtheilung I., 2. Hälfte, pag. 271.) jam similibus in casibus eundem percussionis sonum observavit.

Sub vesperum collapsu maximo, dyspnoea gravissima, vehementissimo circum pectus angore exorto aegrotus etiam atque etiam chloroformium spirandum decideravit. Quo porrecto aegrotus maxima libidine inspiravit, aëremque aethere satiatum deglutivit, linteum chloroformio consparsum lingua lambit; attamen per breve tantum temporis spatium placatus est, dyspnoeae accessu mox rursus exorto.

Sub mediam denique noctem stupore dolores leniente aegrotus paulatim exspiravit

Obductione facta cor per crassam seroso-fibrosam telam, cui parva tubercula inspersa erant, cum pericardio coalitum reperiebatur. Pulmo sinister excepto inferiore margine ubique aërem continebat, bronchiis omnibus pituita tenaci et spumosa repletis. Inter pleuram et diaphragma innumera parva tubercula inveniebantur.

Quo loco ante mortem fremitus pectoralis vehementior erat et respiratio bronchialis audiebatur, dexter pulmo cum anteriore thoracis pariete arcte conjunctus et ad parvum volumen reductus, a tertia tantum costa usque ad acumen thoracis exstensus invenitur. Glandulae bronchiales turgidae in massam caseatam degeneratae sunt.

In dextro cavo pleurae non pus, sed magna liquoris pellucidi copia secreto fibrinoso commixta inveniebatur.

Empyema igitur jam non aderat; sed pure transmutato et resorpto quum neque pulmone dilatato, neque diaphragmate neque thoracis pariete retractis cavum expleri posset, hydrothorax ex vacuo necessario exstitisse intelligitur.

Pleura in densum callum mutata erat; flavae et caseae tae massae cum glandulis lymphaticis regionis jugularis cohaerentes in tela subpleurali conspiciebantur. Massas illas caseatas non ex tuberculis quae stricte nominantur sed potius ex inflammationibus exortas esse conjiciamus necesse videtur esse; quibus ex inflammationibus cellulae gignuntur, quae plerumque in textum fibrosum abeunt in exhaustis vero et debilibus hominibus non nisi cellularum indifferentium statum attingere et in caseatam massam transmutari solent. —

In stomacho reperiebatur sonatum ulcus rotundum novem lineas longum, quinque lineas profundum et totidem lineas latum.

Nihilo minus aegrotus diaetam largam, praeparata ferri, vomitoria et cet. sumpserat cardialgiis nunquam exortis; cujus rei causa sine dubio in eo ponenda est, quod ulceris fundus formatus erat tela conjunctiva multum adipis continente neque ullo loco cum organis in abdomine sitis cohaeserat.*)

Casus III.

Empyema dextri lateris. — Perforatio in pulmonem. — Pyopneumothorax. — Rheumatismus artuum acutus. — Variolois. — Valetudo in integrum restituta.

Theodorus Hagemann, viginti quatuor annos natus, operarius Gryphicus in nosocomium die vicesimo quarto mensis Decembris anni 1858 receptus, se duobus diebus

*) Cfr. Niemeyer, Lehrbuch der speciellen Path. u. Therap. Erster Band. 2. Abtheilung. pag. 465.

ante in conclavi suo subito concidisse atque inde doloribus in dextro latere et tussi vexari confirmavit.

Adspecto thorace latus dextrum magis extensum esse spatiis intercostalibus expletis, et in respirando fere non moveri apparebat. In superioribus dextri lateris partibus percussio effecit sonum plenum et tympaniticum, infra altitudinem papillae mamillaris omnino obtusum. Neque non fremitu pectorali finis liquoris accuratissime definiri poterat.

Hepar sub marginem costalem tribus fere digitis prominebat.

In tergo finis superior exsudati columnam vertebrarum attingebat circa altitudinem superioris scapulae partis. Hoc loco respiratio erat bronchialis; quousque obtusio pertinebat, respiratio omnino deerat; aliis vero partibus respiratio vesicularis inveniebatur.

Exsudatum igitur pleuriticum, quo hepar dislocatum erat, haud dubie statuendum fuit. —

Primo mense post receptionem valetudo admodum varia, plerumque tamen mala fuit; nam aegrotus, quamquam saepius cubiculum reliquit, tamen facie tam pallida et misera fuit, ut magis magisque eum emacescere manifestum esset. Pulsus inter cubandum nunquam fere numerum LXXX superans post surrectionem valde citatus videbatur numerum C plerumque attingens.

Thermometrum quod per mensem Januarium et mane et sub vesperum in axilla applicabatur, mane inter gradus 36,4 et 37,82 haesitabat, sub vesperum autem medio mense gradus 39,9 ostendit. Itaque aegroto Infusum Digitalis (e gr. XV paratum) per sequentem noctem

summendum porrectum est. Quo facto thermometrum tribus proximis diebus tantummodo 37,9 gradus ostendens sequenti quoque die gradatim altius ascendens die tricesimo uno mensis Januarii numerum 39,4 attigit. Quam ad febrim sub vesperum exacerbatam exstinguendam vel mitigandam saltem saepius per hanc mensem Infusa Digitalis et chinii sulphurici grana decem porrecta sunt. — Initio mensis februarii status aegroti multo debilior fiebat; appetitus edendi nullus, caput gravamine pressum, arteriis perpetuo dupliciter pulsantibus. Thermometrum die I. m. febr. 37,7, die secundo 38,05, die tertio 38,3 gradus ostendens sub vesperum his diebus usque ad 39,7; 39,5; 40,28 gradus pervenit, arteria his diebus sub vesperum centies vel centies-vicies pulsante. — Die tertio mensis februarii aeger subito maximo frigore correptus est, quod secutus est calor una cum dolore pungente infra papillam mammillarem dextram. Quo loco adhuc percussio sonum plane obtusum effecerat, nunc sonus obtuse tympaniticus atque lenis respiratio bronchialis audiebatur.

In dubio esse non potuit, quin pneumothorax partialis saccatus exstitisset; sed scire nullo modo jam potuimus, utrum ex suppuratione exsudati spontanea aër secretus esset, an perforatione in pulmonem exorta cavum pleurae intrasset. Quae quidem diagnosis mox certissima facta est. Nam postridie, prout positio aegroti mutabatur, sonus percussionis tympaniticus plus minusve extensus reperiebatur; atque quum aegrotus subito de lecto surgeret, exsudatum sensibili undulatione manum impositum percutere facile cognosci potuit. Sedente

aegroto percussio nunquam sonum tympaniticum evocabat, aeque recubante sonus tympaniticus per compluria spatia intercostalia animadvertebatur. Subito etiam sputorum magna copia ejiciebatur, quae maximam partem pure bono et laudabili nullo modo foede olente constabant.

Hepar duorum digitorum latitudine inferius erat, quam antea. Pectus vi commotum sonitum tam aëneum et clarum edidit, ut et ab ipso aegroto et ab hominibus per complures passus remotis percipi posset.

Pneumothorax igitur ortus erat ex exsudati in pulmonem perforatione.

Sputa praeterlapsis nonnullis diebus valde minuta erant et quo adhuc caruerant malum odorem exhibebant simulque tria strata in vitreo formabant.

Cor loco solito in spatio intercostali quarto pulsabat neque dislocatio animadverti potuit.

Proximo tempore aegrotum in dies infirmiorem reddi luce clarius. Nihilo minus se ipse de lecto erigere et jactando se undas in pectore leniter excitans strepitum evocare valuit; atque se ipsum undulationem in pectore sentire affirmavit. Auscultatione audiebantur, imprimis quum aegrotus tussiret, soni murmurantes.

Tussi vehementissima aegrotus et interdiu et noctu vexabatur. Itaque Morphii acetici primo gr. $\frac{1}{8}$ deinde gr. $\frac{1}{6}$ aegroto dabantur sub vesperum, ut noctu saltem quiesceret.

Succussionis crepitus usque ad medium mensem februarium aeque clarus remanebat. Tum vero debilior apparens proximis diebus omnino evanuit et quod paulo post ortum pyopneumothoracis vix sperandum fuerat,

aegrotum omnino convalescere posse, id jam die XX mensis februarii re vera exspectare licebat. Aegrotus enim edendi libidine reversa in dies magis se valere confirmavit. Refectio tamen virium nondum manifesta erat; aegrotus adhuc debilis et exhaustus etiamnunc vehementissima tussi vexabatur simulque postquam quotidie fere sub vesperum frigus super corpus effusum fuerat, in sequenti nocte sudores largissimi profundebantur.

Thermometrum quoque per totum mensem februarium sub vesperum multo altius petebat, quam mane. Nam mane inter numeros 36,6 et 38,5 haesitans, plerumque tamen numerum 37,5 ostendens; sub vesperum saepenumero usque ad gradus 40 ascendebat.

Jam commemoravi, thermometrum ineunte mense februario, quo tempore perforatio in pulmonem exorta esset, quadraginta gradibus altius ascendisse. Ex eo autem tempore quoque sequente vespero temperaturam ostendens inferiorem, sub medium mensem Februarium rursus ascendere incepit atque die XVI numerum 40,12 attigit.

Deinde continuo fere usque ad mensem Martium exeuntem thermometrum auctam corporis temperaturam sub vesperum indicabat inter numeros 38,2 et 39,7 haesitans. Arteria quoque sub vesperum illo tempore multo saepius pulsabat, quam mane.

Mane enim sexagesima horae parte tantummodo octoginta vel nonaginta pulsus efficiens, sub vesperum centum quin etiam centum et viginti pulsus effecit.

Has febres continuas aegroti vires magis magisque consumpsisse eumque in lectulo retinuisse quis est, quin

intelligat! Simulque negari non potest, febres illas continuas ad resorbendum exsudatum pleuriticum magni momenti fuisse. Nonne in hominibus Cholera affectis magna exsudata, sive in thorace, ubi Hydrothoracem, sive in abdomine, ubi ascitem, sive in actibus, ubi Hydrarthrum vocamus, brevissimo item tempore resorpta exstingui videmus? Qua tandem alia causa id fieri potest, nisi febre vehementi?

Quum autem nostro aegroto propter febrem continuam consumptio virium immineret, Infusa Digitalis aut Chinii sulphurici grana decem pro dosi summenda per mensem februarium saepius porrecta sunt. Nihilo minus sub vesperum major pulsus frequentia et temperatura corporis ad gradus 39,2 plerumque aucta usque ad medium mensem Martium remanebat.

Attamen ab ineunte fere mense Martio valetudo aegroti gradatim in melius progrediebatur, quamquam rheumatismus articulorum acutus inde a die XV exortus convalescentiam valde retardavit. Medicamenta aegroto per hunc memsem porrecta sunt: saepius Morphii acetici gr. $\frac{1}{4}$ ad tussem vehementem mitigandam; Pulveres e Stibio sulphurr. aurat. gr. i. Opii gr. $\frac{1}{4}$ et sacharo compositi; Praeparata ferri, imprimis Syr. ferri iodati ℥ii cum Syrupi simpl. ℥ii mixti, per diem quatuor parva cochlearia, ac quae alia singulis diebus aegroti status poscere videbatur.

Aegrotus cibos largos et bonos quotidie consumebat; nec non vinum abhinc quotidie ei porrectum est.

Quare valetudo, quomodo ingressa sit, ex libratione aegroti nonnunquam instituta intelligere licet.

Corporis pondus erat:

Die XV.	mensis Martii	= 59,0	Kgr.
- XXVII.	- -	= 58,8	-
- XXX.	- -	= 59,15	-
Die VIII.	mensis Aprilis	= 59,55	-
- XIX.	- -	= 64,2	-
- III.	mensis Maji	= 66,9	-

Tum vero inferior thorax dextrorsum depressus erat; nam dextri thoracis latitudo 34 Ctm., sinistra 37 Ctm. complectebatur.

Fremitus pectoralis in utroque pulmonis acumine admodum debilis, a secundo usque ad quartum spatium intercostale vehementissimus, abhinc autem sublatus erat. Sonus percussione evocatus in anteriore thoracis pariete infra papillam mammillarem altior et minus intensus, quam in sinistro latere, inde a sexta costa plane obtusus erat. Idem ad tergum reperiebatur et quidem sonus intensus et altior in superioribus partibus, in inferioribus autem sonus qualis femoris percussi.

Inter sonum altum respiratio debilis, in obtusi soni circuitu respiratio nulla erat.

Aderat igitur hoc loco condensatio parenchymatis pulmonis propter minorem pulmonis reextensionem effecta.

Die VII mensis vehementes motus febriles animadvertebantur; temperatura corporis sub vesperum usque ad 39,37 aucta erat. Huc dolores in ossis sacri, sinistrae scapulae et sinistri lateris regione accedebant. Qui febris accessus sequentibus diebus praecipue sub vesperum admodum augebantur, ita ut corporis temperatura usque ad 39,97 gradus tempore matutino diei VIII men-

sis Maji ascenderet, arteria hoc die ictus centum viginti duo praeberet, et respirationes sexagesima horae parte triginta fierent. Sub vesperum hoc die thermometrum 40,33 gradus ostendit. Itaque quum proximo die ad faciem, pectus et extremas partes exanthemata progerminassent, dubium non fuit, quin aegrotus varioloide affectus esset, qua de re instituto variolarum curandarum traditus est.

Die XXVI mensis Maji aegrotus in nosocomium rediit. Obtusio quidam dextrorsum adhuc exstabat, sed respiratio hoc loco multo firmior erat. Praeparata ferri, praecipue Syrupus ferri iodati aegroto abhinc porrecta sunt.

Pondus corporis die XXVII erat 66,65 Kgr.

Tussis et sputa ad minimam vim reducta diebus quatuordecim praeterlapsis plane evanuerunt, ita ut aegrotus die XI mensis Junii sanitate prorsus recuperata ex nosocomio dimitteretur.

Capacitas thoracis vitalis quae dicitur die X mensis Junii erat 4000 CC.

Casus IV.

Empyema sinistri lateris; — perforatio parietis costarum. — Pneumothorax. — Variolois. — Valetudo restituta. —

Carolus Dinse, operarius e Kleinbeckenhagen XXV annos natus in nosocomium receptus se die VIII mensis Junii anni 1858 morbo affectum esse frigore et doloribus in sinistro latere exortis enarravit. Sinistrum quoque latus extensius fuisse, neque alio modo, nisi supinum cubare se potuisse tradidit. Post quatuordecim hebdomades tumorem pugillarem sinistri lateris exortum esse, quem a medico incisum magnam copiam puris non male olentis profudisse.

Postea circiter diem festum Christi nati alterum tumorem juxta primum exstitisse, ac sua sponte ruptum esse. Ex illo tempore quinquaginta fere quaternarios puris primo consistentis deinde aquosi ex aperturis illis fistulosis paulatim effluxisse, atque vires suas ita consumptas esse, ut non priusquam quatuor hebdomadibus ante receptionem in nosocomium lectum relinquere potuisset.

Ante quatuordecim dies aperturas illas fistulosas cicatricibus clausas esse atque inde quum sese agitasset, strepitum in pectore se sensisse affirmavit.

In nosocomium receptus maximo laboravit aestu febrili brevique post tempore varioloidis manifesta symptomata praebuit. Quare ut primum fieri potuit, instituto variolarum curandarum traditus est.

Decem diebus intermissis quum a varioloide sanatus denuo in nosocomium receptus esset, hunc praebebat statum praesentem.

In spatio intercostali quinto lateris sinistri duae cicatrices erant, quae digitis duobus distantes cum costa quinta et sexta coaluerant. Percussio regionis supra- et infraclavicularis sonum evocabat aliquanto obtusum, circiter papillam mammillarem effecit sonum altum et clarum. Profundiores hujus lateris regiones dabant sonum omnino obtusum, qui, quo profundius aegrotus inclinabat pectus, eo altiora loca petebat, ita ut sonus sublatus aegroto recubante a sexta costa inciperet, sedente a quarta.

Respiratio vesicularis in superiore tantum thoracis parte; ubi sonus altus et clarus atque ubi omnino sublatus erat, respiratio nulla.

Quum aegrotus se jactabat, strepitum in pectore efficiebat, atque quum celeriter erigebatur, liquor manum oppositam undae ad instar percutiens perspicue sentiebatur.

Columna vertebrarum scoliosin in dextrum latus convexam effecerat, ideoque dextra axilla sinistram altitudine superabat. Circiter cicatrices thoracis paries aliquantum retractus erat, supra magis extensus spatiis intercostalibus sublatis.

Aegrotus quamquam adveniens magnam maciem et vultum pallidum exhibebat, tamen mox vires recuperavit, ita ut pondus corporis, quod die decimo mensis Maji 59,7 Kgr. erat, jam vigesimo quarto die ejusdem mensis 61,65 Kgr. attingeret.

Medicamenta aegroto dabantur imprimis Syrupus ferri iodati aut Kalium iodatum, quod tamen exanthemate exorto per aliquod tempus intermittebatur.

Praeterea aegroto cibus nutribilis et abundans dabatur, neque quidquam negligebatur, quod ad vires restituendas quodammodo aptum videbatur. Quo factum est, ut aegrotus pneumothorace sublato vultu sano et florente die XI mensis Junii nosocomium relinquere posset, quamquam pulmo jam ita erat compressus, ut capacitas vitalis quae dicitur tantummodo 2700 CC esset.

Compluribus hebdomatibus post aegrotus sese representavit, ut ostenderet, valetudinem jam esse meliorem, quam quo tempore nosocomium reliquisset.

Dyspnoea non nisi in majoribus corporis contentionibus aderat.

VITA.

Natus sum, Friedericus Tütel anno 1830 die XV. mensis Decembris Attendorni, quae est urbs in Westphalia sita, patre Clemente, matre Agnete e gente Roeper, quos parentes ante sedecim annos jam defunctos maxime lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Postquam per tres annos Progymnasium Attendorniense frequentavi, auctumno anni 1847 Coloniam me contuli, ibique a directore beato Knebel in Gymnasium Friederico Guilelmium receptus quinque annos et sex menses in litteris versatus sum. Deinde calend. Aprilis anni 1853 militiae munus suscepi et per duo annos et dimidium Coloniae in armis fui, atque inter hoc tempus mense martii anni 1855 Monasterii maturitatis testimonium assecutus sum. Militiae denique munere absoluto auctumno anni 1855 Bonnam petii ibique ab Ill. Pluecker, rectore magnifico in numerum civium academicorum receptus in medicorum ordinem a decano Ill. Kilian inscriptus sum.

Per sex semestria audivi disserrentes.

Ill. Helmholtz et Ill. M. I. Weber: De anatomia corporis humani.

Ill, Helmholtz et Ill. M. J. Weber: De arte cadavera rite dissecandi.

Ill. v. Kalker: De logice et psychologia.

Cel. Schaafhausen: De encyclopaedia et methodologia medicinae, de anthropologia et de anatomia microscopica.

Ill. Bischof: De chemia et anorganica et organica.

Ill. Troschel: De zoologia.

Ill. Treviranus: De botanice.

Ill. Noeggerath: De mineralogia.

Ill. Helmholtz: De physiologia.

Exp. Caspary: Demonstrationes botanicas, eumque in excursionibus botanicis sum secutus.

Ill. Pluecker: De physice.

Cel. Albers: De materia medica et de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Ill. Helmholtz: De generationis physiologia.

Ill. Busch: De chirurgia et de morbis artuum.

Ill. Wutzer: De anatomia topographica et de morbis syphiliticis.

Ill. Baumert: de zoochemia.

Exp. Lange: De critico materialismi.

Ill. Naumann: De pathologia et therapia speciali, de morbis cutis et de nervorum morbis.

Ill. Kilian: De arte obstetricia.

Cel. Albers: De pathologia et semiotica generali.

Cel. C. O. Weber: De chirurgia, de anatomia pathologica, de arte fascias rite alligandi, et demonstrationes anatomico-pathologicas cum exercitationibus microscopicis.

Ill. Busch: dux mihi fuit in clinico chirurgico.

Auctumno anni 1858 Gryphiam me contuli; ab Ill. Haeser, rectore magnifico inter cives academicos receptus apud Ill. Budge decanum medicorum ordinis nomen professus sum.

Audivi Ill. Bardeleben: De akiurgia.

Ill. Haeser: De historia medicinae.

Exp. Ziemsen; De diagnostice physica et de morbis cutaneis et syphililicis.

Ill. Niemeyer; De morbis organorum uropoeticorum.

Ill. Pernice: De morbis neonatorum.

Exp. Haeckermann: De medicina forensi.

Cel. Eichstedt: De operationibus obstetriciis.

Ill. Bardeleben: De operationibus chirurgicis in cadaveribus conficiendis.

Ill. S. Schultze: De anatomia comparativa.

Exp. Liebermeister: De morbis infectione exortis, et introductione in physicen medicalem.

In clinico chirurgico et opthalmiatrico Ill. Bardeleben, in clinico medico Ill. Niemeyer, in clinico obstetricio Ill. Pernice duces mihi fuerunt.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Jam tentamine philosophico nec non examine rigoroso rite superatis, fore spero, ut hac dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia nec non arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Empyema non sanatur sine deformitate.

II.

In hysteria curanda maximi momenti, animum voluntatemque aegrotae roborari.

III.

Non medicamentis sed therapiae confidere.